



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt si quilibet ordinatus infra muros ciuitatis manens, & ad sacrificum
quotidanum non venerit, clericus non habeatur. clii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

si in hoc ordine, qui quartus est à capite, dignum est custo-
diri, quantò magis in primo, vel secundo, tertiove seruan-
dum est, ne aut Leuitico, aut presbyterali honore, aut epì-
scopali excellentia quisquam idoneus aestimetur, qui se à
voluptate vxoria necdum frænasse detegitur?

*De principibus qui solent suos sacerdotes ministerijs
iudicandi deputare. Cap. CXLIX.*

SAEP E principes, contra quoslibet maiestatis obno- *Ex cõcil.*
xios, sacerdotibus negocia sua committunt. Et quia sa *Toleta-*
cerdotes à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi *no, ca 31.*
consentiant regibus fieri iudices, vbi iureiurando suppli-
cij indulgentia promittitur, non vbi discriminis sentetia
præparatur. Si quis etiam sacerdotum contra hoc cõmune
consultum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus
effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat
proprium gradum.

*De illis qui deo seruire disponunt, vt administratio-
nem domorum non accedant Cap. CL.*

Nicasius Euastitanus Episcopus dixit: Credo placere *Ex cõcil.*
suggestionem meam sanctitati vestra, & displicere *Cartha-*
vobis, vt qui seruiunt Deo, & annexi sunt clero, accedant *gi. ca. 7.*
ad actus, & administrationem, vel procuracione domorũ.

*Item si liceat aliquem ex clero conductorem priua-
torum fieri. Cap. CLI.*

ITEM placuit, vt episcopi, presbyteri, & diaconi, vel *Ex eodẽ,*
clerici non sint conductores, aut procuratores priua- *cap. 14.*
torũ, neque vilo turpi, vel inhonesto negotio victũ qua-
rant: quia respicere debent scriptum esse, Nemo militans
Deo, implicat se negociis secularibus.

*Vt si quilibet ordinatus infra muros ciuitatis ma-
neus, ad sacrificium quotidianũ, non venerit,
clericus non habeatur. Cap. CLII.*

PRESBYTER, vel diaconus, vel subdiaconus, vel *Ex cõcil.*
quilibet Ecclesiæ deputatus clericus, si intra ciuitatẽ *Toletano,*
fuerit, vel in loco in quo Ecclesia est, aut in castello, aut *cap. 5.*
in vico, aut in villa, si ad Ecclesiam ad sacrificium quoti-
dianum non venerit, clericus non habeatur, si, castigatus
non emendauerit.